



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 20. Magos dum illudunt, illudi, & præstigijs suis sæpe perire.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

ipſi Iob non potuit nocere, niſi Deo illi fræ *Iob. 1. & 2.*  
 num laxante. In cuius rei confirmationē  
 memorat etiam S. Epiphanius, conatus *S. Epiph.  
 hæres, 30.*  
 Magorum, ut feminam quandam Christianam in amorem pellicerent, irritos fuisse,  
 ob crucis signaculum ab ea factum, & in-  
 signem eius fidem. Tertiò ostenditur, harū  
 laruarum exterminatione, potentia San-  
 ctorum, & rerum sanctorum, quæ dæmo-  
 num potentiam profligat. Sic Palladius *Pallad. in  
 Lausiac.  
 hist. c. 19.*  
 refert, B. Macarium eremicolam, mulierē  
 quampiam magi præstigijs in equam trans-  
 mutatam, effusa in caput eius aqua sacra,  
 pristinæ formæ reddidisse. Non igitur  
 sanctorum hominum tantum, sed etiam  
 sanctorum rerum vis patescit, dum prodi-  
 gijs his laruam detrahit. Ita sæpiissimè ad  
 Iesu & Mariæ nomen inuocatum eiusce-  
 modi spectra in ventum dissipata videri  
 desierunt.

## §. XX.

*Magos, dum illudunt, illudi, & in præstigijs  
 suis sape perire.*

Quartò multò æquissimè venefici, dum  
 sub his laruis fallere volunt, redeunte in  
 authorem machina, ipſi decipiuntur. Præ-  
 terquam enim, quod hominis forma figu-

raque indigni meritò in speciem murium,  
 felium, porcorum, aut asinorum trans-  
 unt, & comparati iumentis insipientibus similes  
 illis fiunt, plerumque sic exuuijs bestiarum  
 vestiti, vulnerantur, capiuntur, occidun-  
 tur; aut dum huic arti fidentes, se tutos  
 esse arbitrantur, incident in casses. Hoc  
 ipsum spectat diabolus, ut occupet impa-  
 ratos; & opprimat improuisò. Quemad-  
modum à supradicto Petro judice audiui, ait  
Nider, in territorio Bernensium, & in locis  
eidem adiacentibus, à sexaginta circiter annis,  
supra facta maleficia à multis practicata sunt.  
Quorum primus auctor fuit quidam Scaurus  
dictus, qui publicè de hoc gloriari audiebat, quod  
quandocumq; vellet, ipse se in omnium suorum  
emulorum oculis velut murem facere valeret,  
& dilabi à manibus inimicorum suorum le-  
thalium, & ita è capitalibus inimicorum suorum  
manibus, ut dicitur, sàpe evasit. Sed cùm ter-  
minum sua malitia diuina iustitia facere vo-  
luit, tandem per hostes suos in stufa quadam,  
prope fenestram quandam sedere explorabatur  
caute, quo in loco cùm nullum de fibi insidian-  
tibus suspectum haberet, per fenestram gladius  
& hastis inopinate transfixus est, & ob sua fa-  
cinora mortuus ibi miserabiliter. Hoc lucru  
est

Ioan. Ni  
 der lib. 5.  
 Formic.  
 cap. 4.

est artis, mutantur, ut occidantur. Quin & summus judex, ut eorum ostendat vanitatem, sinit eos sub hac monstrorum imagine ludos facere, ut tandem, dum ludunt, seria patientur. Luculentum est, quod Beda refert his verbis: *Nunciatum Ven. Bedae lib. 2. vita S. Patricij.*

*est S. Patricio aliquando, nequissimum opus cuiusdam Britannici regis nomine Chairtic infamis crudelisq; tyranni, qui erat maximus persecutor & interfeclor Christianorum. S. igitur Patricius per epistolam suam ad viam veritatis eum reuocare tentauit, sed ille salutaria eius monita deridebat. Quod ubi denunciatum est homini Dei, flexis genibus orauit, & dixit: Domine, si fieri potest, expelle perfidum hunc de presenti saeculo & futuro. Nec multo post prefatus ille tyrannus musicam artem à quodam sibi praecantari fecit, à quo audiuit, quod citò de suo regali transiturus imperio esset: omnesq; charissimi eius in hanc vocem prorsu perunt. Tunc ille, cùm esset in medio foro, illico VULPECULÆ miserabiliter arrepta FORMA profectus est in presentia suorum, quò eum impetus animi duxit: & ex illo die illaq; hora velut à diabolo raptus nusquam comparuit. Quidam morituri, in honorem S. Francisci, S. Dominici, S. Benedicti aut al-*

L 1 4

terius

520 Cap. XIV. An, & quomodo diabolus &c.

terius sancti habitum induunt, ut in illo sepulti eorum Diuorum patrocinium consequantur, quorum habitum profiterive luerunt: hic Britannicus rex vulpis pellem induit, ut constaret, qua mente, qua arte fuisset. Mente enim erat similis illi regi, de quo Christus dixit: *Ite, dicite vulpi illi: Ecce eiusdem demona, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummabor: corpus illius in vulpem mutari videbatur, ut palam fieret, qua arte, quod præmium mœruisset.* Erat scilicet de numero illorum, de quibus dicitur: *Introibunt in inferiora terra, hoc est in infernum, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt, seu Acheronticarum bestiarum, à quibus vulpinari didicerunt.* Hoc autem exemplum etsi non profuit illi, qui passus est, prodesse tamen potest ijs, qui viderunt, vel audierunt. Itaque cum S. August. D. Augustino concludo: *Qui hucusq; in istis diabolicis rebus captiuandum diabolo tradidit se, toto corde pœnitentiam agat, & illa saerilegia supradicta cum omni horrore fugiat, & contemnat, ut illi Deus indulgentiam dignetur dare, & ad aeternam beatitudinem, ob gloriam nominis sui, faciat peruenire.*

CAPVT